83

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæque etc. Dominus et Heres. 1511. d. 19. Maij.

Reverende in Christo Pater sincere Nobis dilecte! Gratia Jubilei pro fabrica Ecclesiæ Sancti Petri continuanda, ad duodecimam Januarij prorogata est, sicuti Breve Apostolicum inscriptum Commissario, cujus exemplum transumptum Vestræ Rndæ Paternitatis mittimus testatur, danda itaque opera est, ut profectum aliquod adhuc faciat, quatenus Tartaros imminentes nobis arcere possimus. Vestram itaque Rndam Paternitatem hortamur faciat in sua Diœcesi diligentiam et Fratrem Baptistam etiam, ut idem faciat adhortetur; Collector Apostolicus venit isthuc hisce diebus, ut tollat pecuniam, qua sublata cetrum capsæ sunt claudendæ, in his Vestra Paternitas Reverenda tantum faciat, quantum oportunum esse existimaverit, ad procurandam utilitatem, et faciet Nobis complacentiam. Datum in Brzeście. Die 19. Maji. Annô Domini, Millesimô, Quingentesimô, Undecimô.

Commissio propria
Regiæ Majestatis.

Reverendo in Christo Patri
Domino Lucæ Episcopo Varmiensi sincere Nobis dilecto.